

*Cunibertum Episc. Taurinen., altera ad Gulielmum Episcopum Papiensem.*

MCCCCLXXI. Galeatius Maria Vicecomes Sfortia una cum Bona uxore Mediolani Duces Alexandria Genuam redeunt, recipiuntur a republica honorificentissime.

MCCCCLXXV. Hoc, & sequenti anno inaudita frigora inceperunt de mense octobris, & per totum mensem martii perdurarunt, & per menses sex tanta asperitate nives e cælo ceciderunt, ut a die nono mensis novembris omni mense nives ceciderint, quæ dinumeratæ fuerunt triginta duas vices ninxisse; quo anno vites fere omnes radicitus mortuæ sunt, multique mortales ad aliam vitam commigrarunt, ita ut usque ad diem sextum maii nix adinventæ fuerit, pruinaeque sæpissime deciderunt. Usque ad decimum quintum mensis aprilis nihil omnino pluit, messesque brevissimæ, & non excedebant digitos quinque, & rarissimæ, spicisque nullus visus fuit in agro Alexandrino nisi post diem 20. mensis maii, post quod tempus pluere cœpit. Ex qua re messes maturare cœperunt, & vineæ, quæ mortuæ non fuerant, multas uvas produxerunt, & ita aspere actum est cum mortali genere hoc anno, ut usque ad mensem junii modo hyems, modo æstus sentiretur, vixque dignosci poterat hyems, an æstas esset; parum frumenti, vinum longe optimum collectum fuit. Hoc anno morbi acuti cum febribus continuis admixti, quæ de re multi divites moriuntur, & citissime. In fine mensis septembris per dies quatuor adeo frigus intensum se reddidit, ut glacies visæ fuerint; in agroque Papiensi nives deciderunt, reliqui menses temperati.

MCCCCLXXVIII. Die primo mensis martii Marcus de Capitaneis Alexandrinus Episcopus obiit, humaturque in Cathedrali Ecclesia, in cuius honorem extat epigramma super marmoreum tumulum ejusdem incisum, ubi legitur:

Marmoris hoc tumulo sunt Marci Præsulis ossa  
 Clausa, decusque, salus & Pater urbis erat.  
 Hæc viduata diu, sedesque vacaverat olim  
 Quum tenuis mensæ, desiderentur (1) opes.  
 Mittitur hic Pastor, qui miro incensus amore  
 Quærit opes sparsas, inveterata novat.  
 Munera dat templis, divinæ laudis honores  
 Edocuit clerum, quæ bene facta manent.  
 Heu tandem senio confectus morte quievit  
 Venturis speculum, religionis honos.  
 Nunc anima in cælis patria meliore triumphans  
 Utitur Angelicis facta beata choris.

Die Dominico primo mensis martii 1478.

Eodem anno Johannes Antonius de sancto Georgio Mediolanensis, Præpositus Ecclesiæ s. Ambrosii, vir in jure Canonico doctissimus, qui Ticini publice per multos annos jus Canonicum professus est, extantque in jus Canonicum multa egregia commentaria, tractatumque de appellationibus edit, Episcopus Alexandrinus a Summo Pontifice Sixto IV. creatur, qui ipso anno, & de mense julii Alexandriam solemniter pompa, multisque ceri-

moniis ingreditur. Interdum Ecclesia s. Mariæ de Gratiis ad Astilianum paucis jam antea annis constructa in Prioratum fuit erecta, cui frater Clemens de Geriboldis Mediolanensis Prior datur. Is annus frumenti, & vini copia insignis fuit. Eodem anno Carioculus Spinula die primo septembris Præturam gessit, pesteque laboratum fuit & in civitate, & in Bergolio.

(1) Tenuis mensa,

MCCCCLXXIX. Bona Mediolani Ducissa civitatem Alexandriæ immunem fecit ab onere imbotaturæ, victualium, ac vini cum omnibus jurebus, quæ sunt intra corpora Sanctorum dictæ urbis ob benemerita reipublicæ in ipsam Bonam, & Johannem Galeatium collata.

MCCCCLXXX. Die vigesimo quinto mensis aprilis Bona Mediolani Ducissa, sic exigentibus publicis negotiis, Marcum Boidum Trotum ejusdem a secretis legatum ad Ferdinandum Regem Neapolim transmittit, ut quædam negotia cum eo componeret, ac explicaret. Eodem anno die decimo quinto mensis octobris Baudolinus Collus Alexandrinus, qui tunc Capitaneum justitiæ Mediolani agebat, Papiam mittitur, ut Cicum Simonetam Calabrensem olim a secretis Francisci Ducis Sfortiæ, carceri, jussu Ludovici Sfortiæ patris Francisci Ducis infantis, mancipatum examini traderet, & processum de eo ageret. Hic cum ad omnes dignitatum, & honorum gradus provectus fuisset, & tandem Bonæ, & Johannis Galeatii, & mox Francisci infantis a secretis esset, & annus unus ageretur, quo in castro Ticini inclusus detineretur, & sub quæstionibus fuisset... processu perfecto idem Baudolinus Collus Mediolanum rediens, Ludovico ostendit, qui die penultimo octobris de ejusdem mandato Ticinum reversus, in castrum memoratum Cichum in capitis obtruncationem condemnavit, bonisque multavit, qui maxima constantia hoc ferens, carnificique ipsi instans, ut cito enecaretur, crucifixoque venerato, hora decima septima capite privatur. Cujus cadaver ad Ecclesiam s. Appollinaris extra portam s. Mariæ in Pertica deportatur, ibique humatur. Hic est ille Cichus multis animi dotibus, & bonis (1) fortunæ insignis, de quo versus illi decantantur.

Incolumi Galeaz poterat Duce plurima Cichus,  
 Sublato Cichus jam Duce cuncta potest.  
 & iterum

50 Dum rotat instabilis fortuna volubilis orbem  
 Ex summo Cichus lapsus ad ima ruit.  
 Omnia, qui poterat, post annua carceris atri  
 Vincula carnifici colla secunda dedit.

Eodem anno de mense novembris Alexandriæ insigne quoddam evenit, nam in ædibus Blasii Panizoni jure-Consulti eximii, spiritus ille, qui folletus appellatur, per plures menses a pueris, & filiis suis auditur. Hic multa puerilia in domo committebat lapides confrangendo, omnia volutando, & qui cubitum iverant, hos maxime per noctem infestabat, resque domesticas exportabat, & tandem de mense septembris loqui cæpit, etiam lati-